

Ut primæ substantiæ magis convenit definitio substantiæ, quàm secundæ. Ergo illa magis est substantia. Sic utile definitur, quod ad finem conducit. Ergo id quod magis conducit, est utilius.

5 *Quod magis proprium est rei, eidem est melius:*

Ut homini uti ratione est magis proprium, quàm uti sensu. Ergo & melius.

6 *Proprium melioris rei est melius proprio rei deterioris:*

Ut proprium hominis est melius proprio bruti.

7 *Plura bona sunt anteponenda paucioribus:*

Ut literæ cum virtute iisdem fine virtute.

8 *Quod simpliciter & universè bonum est, melius est eo, quod alicubi bonum est:*

Ut valere melius est, quàm curari; & lux tenebris, quia hæc sunt tantùm meliores noctuæ, vel furi.

9 *Quod à suo contrario magis remotum est, magis tale est, quàm quod minùs ab eo remotum est.*

Sic sub polis frigus est intensius, quia plaga illa est remotior à zonâ calidâ: temperantia magis virtus est, quàm continentia, quia illa nullâ vitii contagione inquinatur, hæc non sine ancipiti luctâ cum cupiditatibus configit.

10 *Quod semper, vel ὅπῃ ποτὸν, ut plurimum, est utile, magis tale est, quàm quod aliquando:*

Ut justitia est melior fortitudine.

11 *Quod ad plura conducit, melius est, quàm quod ad pauciora:*

Ut aqua quàm vinum, vel mel.

12 *Cui magis insunt media ad finem, eidem magis inest finis:*

Ut ille doctior, cui plus ingenii, plus studii, plus otii, plus librorum.